

No. 283. 1288. 13. Febr.

B. Bruno zu Naumburg bekundet mit Zustimmung seines Capitels 11 $\frac{1}{2}$ Lehnkufen zu Schlössen bei Strehla an Dietrich Probst zu Budissin verkauft zu haben und tritt dieselben mit allen Rechten und Gerechtigkeiten an die Domkirche zu Meissen ab. Vgl. No. 253.

Nos Bruno dei gratia Nuemburgensis episcopus notum facimus universis et praesentibus litteris protestamur, quod cum ecclesia nostra oppressa esset gravi onere debitorum, redditusque eiusdem ecclesiae pertinentes ad mensam episcopalem multipliciter alienati, adhuc existentes ita tenues, quod de ipsis redditibus dicta onera debitorum non solum attenuare vel diminuere poterunt, immo crescebant de die in diem vehementius et in tantum, quod iam eidem ecclesiae nostrae nisi ei celeri et maturo succurreretur consilio, dampna irrecuperabilia evidentiter iminebant. Unde post multos et varios tractatus super his, quae praemissa sunt cum praeposito, decano totoque capitulo ecclesiae nostrae habitos non occurrit aliquod consilium, nisi ut fieret aliqua ecclesiae nostrae honorum alienatio, ut sic recepta de dictis bonis pecunia praelibata ecclesia nostra eximeretur a praemissis oneribus debitorum. Et licet venerabilis in Christo bonae memoriae Lutolfus episcopus, praedecessor noster, duodecim mansos et dimidium liberos ad mensam episcopalem pertinentes in villa Zalesin iuxta Strele sitam vendiderit pro certa pecuniae quantitate honorabili viro Theoderico praeposito Budesinensi, ut in privilegiis super hoc confectis plenius continetur, nondum tamen cum dicta pecunia et aliis bonis ecclesiae nostrae venditis idem dominus Lutolfus, praedecessor noster, ad solutionem debitorum non poterat aequaliter pervenire, verum cum partem debitorum exsolverit dictus praedecessor noster, residuam partem solvendam nostrae sollicitudini ex debito reliquit. Habito consensu et consilio saepedicti capituli nostri, residuos undecim mansos et dimidium infeodatos quocumque genere infeodationis in dicta villa Zalesin sitos, antedicto Theoderico Budesinensi praeposito nobis in Christo dilecto, cum pratis, pascuis, virgultis, viis et inviis, servitiis, iuribus et cum omni iudicio magno et parvo in villa et in agris, et cum omnibus utilitatibus, quae nunc insunt vel inesse poterunt in futurum, pro decem et novem marcis argenti Strelensis ponderis vendidimus interveniente iusto emptionis et venditionis titulo, et eosdem mansos ad preces eiusdem praepositi Budesinensis Misenensi ecclesiae in perpetuum donamus iusto proprietatis titulo possidendos, et sicut antedicti mansi ad ecclesiam nostram pertinent, sic cum omnibus iuribus transeant cum consensu totius capituli nostri ad ecclesiam Misnensem, nobis nihil iuris et ecclesiae nostrae in posterum reservantes. Profitemur etiam, nos totam pecuniam supradictam recepisse et in solutionem debitorum praemissorum integraliter convertisse. Absolvimus similiter dictam villam Zalesin et rusticos eius a frequentatione iudiciorum trium vel plurium, quas facere solebant tribus vicibus in anno ad civitatem nostram Strele temporibus retroactis. Et ne alicui super praedicta alienatione, et oratione et donatione dubietas oriatur, praesens privilegium sigillorum nostri et capituli nostri munimine fecimus roborari. Huius rei testes sunt Bruno praepositus, Conemundus decanus, Albertus de Grizheim, Otto cantor, Lutolfus de Allerstete, Hermannus archidiaconus Plisnensis, canonici ecclesiae